BENEDICTUS REGUARDATUS DE NURSIA · DE BALNEIS PUTEOLANIS · CINCIUS ROMANUS
Siena (?), 8. Jahrzehnt 15. Jh. /vor 1478 Seite 111v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8184
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



quereris. simul etiam afficeris dolore propter
putrefactionem, et bonorum priuationem, quemadmodum
si in aliam uitam migraturus esses, et non in
omnimodam sensuum interitionem mutatus, eandem
s. que ante generationem. Ut igitur regimine
Draconis et Cleusteni nihil mali paciebaris.
Principio enim non eras, secus quem quippiam
mali esset. neque etiam post mortem fiet. Tu
enim non eris, circa quem mala existent. Hec
itaque omnia deliramenta abijcias. Hoc siquidem
considera, dissoluta semel coniunctione, et
animo in proprium locum firmato, corpus relictum
terrestre et sine ratione, nequaquam est homo.
Nos quidem sumus animus, immortale animal,
mortali carcere detentum. Hoc autem corpus
natura confinxit mali gratia: cui uoluptuosa
quidem tenuia, et instabilia sunt pluribus
doloribus admixta, molesta autem uehemen-
tia atque diuturna, et inexpertia uolupta-
tum, Infirmitates autem et sensuum febres. Et
Adde etiam mala intus existentia: quibus necessario
anima tamquam per corpus diffusa compaciens, celeste